



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hebdomas Patientiæ Sive Methodus Facilis Totam Septimanam Inter Omnes Fortunæ, Ac Vitæ, Coeterosque Casus Humanos In Sancta Quiete, Pace, Et Patientia Transigendi Ex Consideratione, Imitatione Et ...

Dietmer, Georg

Moguntiaë, 1674

Caput I. Quædam alia dolorem Virginis aggravantia considerantur; & num
ex tantis doloribus B. V. deliquium animi sit passa?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46586](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46586)

DIES SABBATHINUS.

In amaritudine moratur oculus meus. Job. 17.

CAPUT I.

Quaedam alia dolorem Virginis aggravantia considerantur; Et num ex tantis doloribus B.V. deliquium animi sit passa?

Complura sunt Parthenophile, quæ mæstissimæ Matris tuæ dolorem, angustiasque in immensum quasi extollunt, quæ tamen omnia, seu singula hoc loco referre, nec temporis permittit brevitās, nec sufficienter suadet ratio; siquidem & suavius, teneriusque afficeris erga ea devotionis studia, quæ tu ipse singulari Numinis favore excogitas, & ipsa dies suo nomine Sabbathinus vocatus, paulatim ad lætiora nos assurgere persuadet; etenim ipsa Virgo, quamvis etiamnum afflictissima, post tantos filii sui cruciatus hac luce non nihil respirans, spe protinus futuræ resurrectionis consolabatur; at-

M 2

que

que ipse Dominus, post omne opus quod in monte perpetraverat, quievit. Itaque paulatim & nos respiremus, ubi aliqua tibi considerata etiamnum proposuero, quorum primum erit: quidnam vel maxime existimes hoc die Matrem Domini anxiam, sollicitamq; tenuisse? alterum vero quid sentiendum de iis doctoribus, qui Virginem doloris gladio perfossam, spasmus, animique deliquium sustinuisse posteris reliquerunt. Ego quidem perpensis omnibus, ea præsertim in voluntatem divinam resignatione, quâ Virgo à quibusdam Patribus scribitur, & pro certo tenendum est, parata erat, si sic juberet cœlestis Pater, promptissimè in arâ crucis suum immolare filium, non secus quam Patriarcha Abraham dilectissimum sibi Isaacum gladio ferire Dei iussu paratus stabat; omnibus inquam, consideratis, facillime eam in partem inclino, ut arbiter motivum tantorum dolorum præ reliquis peracerbum fuisse, quod in filii Dei tam immiti, ac immani trucidatione supremum Numen gravif-

gravissimo offendi scelere eo clarius videret, quo magis prospecta habebat singula, & quæ circa filium fiebant, & quibus divina Majestas offenderetur. contemplabatur igitur suum, Deique filium ab impio Iudæa illi populo divenditum, quem Dominus velut pupillam oculi sui dilexerat; velutque gallina sub alas suas toties congregare voluerat ut nil de Prophetis illi divinitus concessis; nihil de stupendis Christi miraculis dicam, cum surdi audirent, ceci viderent, leprosi mundarentur, pauperes Evangelizarentur, & mortui resurgerent. Ipse autem proditor, qua non pietate ab optimo Salvatore fuerat vocatus, quanta dignatione instructus, quibus beneficiis enutritus? insuper precioso corpore & sanguine Salvatoris passus, eò nihil ominis, Virgo dolorosa videbat tum Iudam, tum populum impium progressum fuisse, ut & ille in mortem crudelissimam traderet; & hic turpissimæ necis condemnaret. Vere gladius ex utraque parte acutus, dividens animam Virginis! Accedebat tri-

na Petri *negatio*, Apostolorum reliquorum fuga; cruci figentium, blasphemantiumque in adita impietas, fellis & aceti potatio quæ ita lancinabant pectus Virginis, ut jure merito Ieremias potuerit de eâ dicere: *inebriavit absynthio, & ad amaritudinem deduxit animam ejus*; imo in amaroris mare dejecit, & demersit. Sed non solum ea scelera lancinabant pectus Virginis, faciebant, & illa tua Parthenophile, meaque in Deum, Jesumque Crucifixum impietas. Porro sicut Christo Salvatori omnes dolores etsi millies multiplicati, audi- que fuissent, longe tolerabiliores fuissent, quam vel unicum peccatum mortale in mundo commissum; ut præclare meditatur bene meritis de præsentî devotione ergo dolorosam Matrem P. Casp. Tausch. *lib. 1. cap. 12. p. 1.* sola enim cogitatio commissi, aut committendi ab hominibus peccati gravius Christum excruciauit, quam quidquid vel in cruce, vel tota vita asperum tulit, vel acerbum. Mortalis enim peccati apprehensio, & gravitas illam in

horto

horto Salvatori nostro tristitiam, angorem, pavorem, tædiumque incussit; illa agoniam, quæ ipsa morte gravior, duriorque fuit, adduxit; illa sudorem sanguineum toto corpore expressit. Poterat scilicet mansuetissimus agnus atrocissimos dolores, poterat omnia dira ac horrida ipsi inferenda perferre, contemptus, & ignominias extremas tolerare, præbere maxillas percutientibus, offerre, faciem in se conspuentibus, cum iniquis & latronibus deputari, vestibus nudari, derideri, immanissime trucidari, poterat morte turpissima desungi. Ast peccatum nec ferre, nec committere, admittereve poterat; hoc, hostis illi adeo infestus, ut quantum ex prioribus toleratis exaltatus fuit, in tantum si hoc, vel approbare posset, deprimeretur, ut etiam gloria sua decedere, ac Deus esse, desinere cogeretur. Ex quo manifestum est, Christo quodlibet peccatū plus horroris intulisse, quam quæcunque vel sustinuit supplicia, vel poterat sustinere. Ita pari modo credendum est, mæstissimæ Dominae plus di-

splicuisse unius hominis peccatum, e-
 amque majore desolatione affecisse,
 quã omnes cruciatus reliquos, quos be-
 nediãta illæ anima perferre cogebatur:
 Vidit aliquando Deus enormia mundi
 totius scelera, & ideo *tactus est dolore cor-
 dis intrinsecus. Gen. 6.* Vidit Maria mun-
 di nefas, & quanto doloris gladio per-
 fossam existimas Parthenophile? Et
 vero, si magnus ille Apostolus Paulus
 non veretur dicere: *Eph. 4.* quod pec-
 catum Spiritum sanctum contristet, qui
 est solatium, & tranquillitas omnium
 sanctorum; qua tristitia Matrem tuam
 obrutam ex his credis peccatorum con-
 siderationibus, quæ ex tot, tantisque
 cruciatibus filii profundiores evade-
 bant. Attende igitur Parthenophile
 te, tuaque delicta ea esse instrumenta,
 eos gladios, quibus Matris tuæ cor per-
 fossum fuit, & discedens tantisper in
 angulum desse commissa, & expavesce
 ad illatam salvatori tuo, ac dein Vir-
 gini mæstissimæ injuriam; deprecare
 veniam, tuaque super peccata propria
 conceptâ animi contritione, & insigni
 emen-

emendationis studio promisso, allevia Christi tormenta, mitiga Matris dolores. perpende illud *Isa. 53. propter scelus populi mei percussus eum. considera istud: Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. ibidem. Revoca in mentem illud: servire me fecisti in peccatis tuis; præbui mihi laborem in iniquitatibus tuis. quæ verba Leo Castrius, ac Lactantius lib. 4. cap. 19. sic exponit: Tuis peccatis ò homo, O Parthenophile, servire, id est servi carnem induere, servi pœnas, id est crucem suscipere me Christum fecisti, imò ea mihi facta sunt, itaque sum tractatus, quasi non mancipium tantum, sed pecus & bellua essem. considera etiam eum versiculum, quem proponit S. Mater Ecclesia:*

*Pro peccatis sua gentis,
Vidit Iesum in tormentis,
Et flagellis subditum, &c.*

E heu mi suavissime Jesu! eheu Mater dolorosissima tantorum ego dolorum vestrorum meis peccatis causa exstiti, ego ut filius tuus, O benedicta cœli Regina, servus fieret, ut velut mancipium vapularet, velut latro trucidaretur,

M 5

tur,

tur, occasionem præbui; Ego Deicidii reus, & tantorum cruciatuum ausam præbui! quo me abscondam à facere tua Deus? Egone orare potero deinceps amplius: *Monstra te Matrem, Ostende mihi faciem tuam*, quam ego ut sanguineis etiam perfunderetur lacrymis, tot, tantisque ignominiiis concussi? O dolor! O horror! O scelus meum! Pudet Christum vocare patrem, pudet Virginem deinceps Matris nomine compellare; quando utriusque tantorum dolorum miser peccator causa fui! Non progredior, ultra enim non possum, secreta cordis aptius dolentis peccatoris suspiria excipiunt Parthenophile. Tu tamen accurate tecum statue, posteaquam tantos Matris tuæ dolores inspicisti, velisne deinceps eosdem tuis sceleribus exaggerare.

Atque hæ hæc hactenus, dictæ pluresque rationes ad eam Virginis sanctissimæ peccatus, animumque occuparunt, ut non pauci existiment, Dominam nostram dolorum suorum tempore deliquium patiendi, veluti mortuam concidisse.

ita

ita enim ipsa Virgo videtur revelasse S. Brigittæ lib. 1. revel. cap. 10. in hæc verba: *Ad primum igitur idum ego, quæ astabam propinquius, cecidi quasi mortua, & resumpto spiritu vidi corpus ejus verberatum. Et infra loquens de Christi crucifixione: Cum primus clavus infingeretur ei, ego ad primum istum conturbata cecidi quasi mortua, oculis obscuratis, manibus tremantibus, pedibus nutantibus, & non respexi præ amaritudine, antequam ex toto affixus erat. surgens vero vidi filium meum miserabiliter pendentem. Consentire videtur S. Bernardus opus. de lament. V. Juxta crucem Christi stabat emortua Mater, quæ ipsum ex spiritu sancto concepit: Vox illi non erit, quia dolore attrita jacens, pallebat quasi mortua vivens, vivebat moriens, moriebatur vivens, nec mori poterat, quæ vivens mortua erat. Idem docet sequentibus verbis S. Bonaventura lib. medit. cap. 79. & cap. 80. Credo quod per angustiarum multitudinem, absorpta erat, & quasi insensibilis, vel semi-mortua facta est, nunc quidem multo magis, quam cum obviam ivit ei crucem portantem. S. Anselmus dialog. de pass. Domini; sic*

M 6 medi-

meditatur loqui Virginem: *Cum venissent ad locum Calvaria, ignominiosissime nudaverunt filium meum totaliter vestibus suis, & ego exanimis facta fui.* Similia afferunt complura SS. PP. quæ quidem ingentes animi, corporisque cruciatus mæstissimæ Virginis clarè exhibent; cæterum sano sensu intelligenda sunt. Malonius itaque *de Christi Domini stigma: cap. 17.* & alii triplex genus spasmi, vel animi deliquii enumerant. Et primo quidem, cum ex doloris vehementia, & acerbitate nervi constringuntur, ac in tantum rigescunt, ut præter acutissimos dolores, usum rationi adimant, sensumque. Secundo modo fieri assertunt, cum quidem absque nervorum convulsione, & contractione, dolor tamen in tantum augetur, ut rationis deliquium inducat, ac de statu mentis deturbet, homoque mortuali pallore obducatur, ac frigido sudore perfundatur. Et hoc utrumque animi deliquium de Virgine gravissimi negant Doctores, neque enim credibile est Beatissimam Virginem unquam mentis, rationisque non satis com-

com-

compotem fuisse. Imo & Doctores alios sic opinantes severè redarguunt, exemplo sit *Medinæ 3. p. quæ 27.* Sunt inquit, qui dicant, quod tempore passionis Domini Christus ipse sub crucis pondere lassatus ceciderit, & quod *B. V. Mater* ejus *compatiens etiam ceciderit spasmata, & passa fuerit animi deliquium*: hæc omnia dicuntur temerarie. & scandalosè. existimo autem hunc Doctorem solum hanc censuram ferre de sentientibus quoad ultimam partem de Virgine. *S. Ambros. epist. 82. item lib. de Instit. Virg. c. 7. de Domina ait. Stantem lego, sentem non lego, multo minus extra sensus, & usum rationis cadentem.* Profectò si in *Matre Machabæorum, & S. Felicitate* tanta vis, tantusque animi vigor exstitit, ut filios ad supplicia subeunda adhortarentur, non cadat in Te *Parthenophe*; hæc vilia de fortissima *Domina* tua in mentem inducere. Tertius itaque sensus esse potest, fuisse in *Virgine* dolorem acutissimum, maximeque intensum, qui etsi nervos non contorserit, neque convulserit, neque usu sensuum, multoque

minus rationis destituerit, ita tamen Virgineum pectus divexarit, ut tanta debilitas subsequeretur, qua vix se posset sustentare amplius, ac subinde intertam sponte, ac decentissime sese inclinaret, forte etiam reverentiæ causa, erga suum dilectissimum filium, prout ipse factus in agonia, insuper procidit in faciem suam, quæ profecto non fuerit signa pusillanimitatis, sed potius magnarum virtutum, cum diceret: Non quod ego volo, nec sicut ego volo, sed quod tu, & sicut Tu. Simili modo etiam mæstissimæ Virginis pars inferior summo opere pateretur, constantissime tamen divinæ voluntatis imperio dedita, dolorum acutissimos excipiebat gladios. Quem sensum expressisse videtur S. Anton, 4. p. sum. t. 5. cap. 41. par. 1. his verbis: *Beata Virgo stabat ante crucem, verecunda, modesta, lacrymis plena, doloribus immersa, ita tamen divinæ voluntati conformis, quod si oportuisset, ad implendam voluntatem Dei, ipsa filium in cruce posuisset, atque obtulisset, nec enim minoris fuit obedientiæ, quam Abraham. Idipsum alio loco*

loco revelationum S. Brigittæ lib. 6. cap. 57. Videtur docere ipsa SS. Virgo his verbis: *Quoties audiui opprobria filii mei, & mendacia, & insidias ei positas, toties, animus meus motus est dolore, ita quod vix tenere se poterat, sed virtute Dei dolor meus modum, & honestatem habuit, ne impatientia, & levitas in me notaretur: Et quando vidit filium meum ligari, & flagellari, & in ligno suspendi corruui quasi exanimis, sed reassumpto spiritu, steti dolens, & sic patienter suffereus, ut nec inimici, nec alii in me reperirent, nisi gravitatem. Atque in hunc modum SS. Patrum testimonia, aliæque revelationes componi, & explicari possunt. Et hæc sunt Parthenophile quæ de SS. Matris tuæ doloribus tibi expendenda proponere statueram, ubi vita comes, & occasio sese offeret plura gustui tuo, non insipita futura, ut spero, edifferam. nunc Regina Martyrum perbreve elogium ex devotissimo Lyræo appendamus. de imit. Jesu patientis l. 5. cap. 6.*

*Stupesce quisquis magna mirari soles:
Martyrem hic habes, sine tyranno.
Cujus corpus ferro impervium,*

Trans-

Transmisit tamen gladium usq; in animam,
 Quam transiri, non trahi, fas fuit.
 Nimirum importunissimo satellitis mucroni
 Modestiae sedem non licuit turbuluose per-
 run pere.

De constantia ne dubita,
 Eugentibus virus, Mulier stetit,
 Altera mundi basis MARIA:
 Cui (subducta altera in filio)
 Natura machina tuto posset innit.

Stetit in monte:
 In quem omnes Martyres levarent oculos,
 Exemplum simul virtutis, simul auxilium
 petituri.

In loco Mortuorum stetit.
 Dum mortis inter tropaea, de morte triumphata
 Hostem debellare in loco victoria, hoc demum glo-
 riosum est.

Sed clavos, spinas, lanceas circumspicis;
 Non posse hac deesse Matri creduas,
 Quorum tantam filius habet copiam.
 Cuspis qua aperuit pectus mortui,
 Cor viva vulneravit,
 Lethum sine dubio allatura,
 Nisi hebetata in fonte vita hauriendo,
 Vires perdidisset.

Exspirasset sanè Maria ex hoc decumano
 Et aliis doloribus;
 Nisi diutius patièdo velut mereri Regnum
 Inter Martyres debuisset.

Tormentorum mensuram ex magnitudine
 Amoris cape:

Tantum

Tantum tulit, quantum amavit
 Tantum amavit, quantum decuit,
 Hanc Matrem, hunc filium.

*Vbique Regnum debetur MARIÆ, etiam in
 doloribus.*

CAPUT II.

*Amore dolorosæ Virginis omnia dura susci-
 pienda patienti animo, atque adeo ipsam
 etiam mortem.*

PArthenophile si alapas, & verbera
 tibi amore dolorosæ Virginis pacien-
 ti animo perferenda proponerem; &
 in ipsius Dei Matris vitâ imitationis
 exemplar non reperires, credo te filium
 ejus Salvatorem tuum præ oculis habi-
 turum; posteaquam enim innocentissi-
 mus cuidam iniquo judici dixisset
 Jo. 18. *Ego palam locutus sum mundo, & in
 occulto locutus sum nihil. Unus ministrorum
 dedit alapam Jesu, dicens: sic respondes Pon-
 tifici? Nec desunt dolorosæ Matris cul-
 tores, qui suæ salutis authorem secuti,
 ignominiosam ejusmodi injuriam cor-
 dato animo perpessi sunt. Lege, si libet,
 sodalem Parthenium. Et ut alios ta-
 ceam, Bernardus à regulari clerico, cui
 habi-*